

## Famliae Lemoniidarum supplementa cum notis.

(Lepidoptera Rhopalocera.)

Scripsit Professor Dr. Otto Thieme.

Cum tabula I.

Novissime cum catalogum Mengeli, qui est de Erycinidis, sive, ut rectius dici plerique volunt, de Lemoniidis, legendo percenserem, non solum errorum sat magnum numerum deprehendere dabatnr, sed, quod jucundius repertu est, videbam etiam meam ipsius collectionem, quantulacunque est (exhibit de familia species inter sexcentas et septingentas), continere aliquot typos eosque nonnunquam insignes, qui editi in lucem hucusque a nemine esse viderentur. Inde consilium mihi publicandi, quae in armariorum abdito aliquotiens per annorum longitudinem quieverant. Diagnoses breves esse potuerunt, quando picturis bonis adjuvantur. Occasione data breviter disserui etiam de eis, quae ante me publicata sunt, cum aut errata emendare aut parum nota in lucem protrahere opus esset. Sic pingere voluimus etiam species alias, quae descriptae jam ab aliis essent, quarum publicatio tamen intra sola verba se contineret.

Certe video fragmentaria esse, quae scripsi, et quae lineas per angustas non excedant. Pro initio sunto, quod, si vita et otium suppetet, ampliora studia sequentur.

Restat, ut addam de nomenclatura. Nolim enim mirari quemquam me, inimicissimum nuper nomenclature juniorum, recens transfugam in castra adversiorum transiisse. Non quasi sententia stare noluerimus. Non sectam mutavimus, sed precibus amicorum exorati aliquantulum de via cedere voluimus, hoc jure quodam suo exigentium, ne porro committamus, ut sit dissonus inter se et parum sibi constans horum annalium contextus.

### I. Genus *Eurybia* Hübn.

1. *Eurybia jemima*<sup>\*)</sup> Hew. Equat. Lep. p. 45 No. 79. 1869.  
(Taf. I. fig. 1.)

Species rara et quae in plerisque collectionibus desit. Nec mentionem ejus fieri in literis usquam video praeter locum Hewit-

<sup>\*)</sup> Vox certe barbara et quae nec significet quidquam et de qua ne sciri quidem possit, quo pacto recte pronuntietur. Sic saepe, quae perfecta pulchritudine rerum natura procreavit, nominum foeditate dehonestantur.

sonianum, quem dixi: nec pictam ullo loco reperies. Itaque non ab re alienum fuerit imaginem ejus publicasse. Hewitsonius marem descripsit; figura nostra feminam repreaesentat, a mare vix diversam, nisi quod magnitudine paullo supra est et quod picturae alarum omnium in femina nitidius clarescunt.

Tres ♂♂, una ♀ meae collectionis, advenae e regione Santa Lucia in republica Equatoriensi (Hänsch.)

## 2. *Eurybia leucolopha* n. sp. mihi.

*Eurybia Eurybiae sinnaces* Druce (Proc. Zool. Soc. L. 482 pl. 33 fig. 4 1904) simillima, forma et magnitudine par, diversa tamen his notis:

Cuspide antennarum lucide nivea (quae sunt in specie *sinnaces* Druce unicoloriter obseurae.)

Supra colore fundali alarum omnium saturatius brunneo, picturis earum rufis, non pallescenti-rufis; binis maculis subcostalibus anticarum clarissime niveis. Oculo cellulari anticarum non spinose quadrato, ut in specie *sinnaces* Druce, sed subrotundo et minore, pupilla ejus non simpliciter atra, sed caeruleo-coruscans. Oculis submarginalibus posticarum quatuor (quinto sub apice aut nullo aut valde obsoleto.)

Subtus tota pallidior, *lamiae* Cramer quam *sinnaci* Druce similior, pupillis oculorum cellularium et anticarum et posticarum non obtuse atris, sed caeruleo-coruscis.

2 ♂♂ meae collectionis e regione Coca in republica Equatoriensi orientali (Hänsch.)

Ambigi de nova specie non debet, tanto minus, quanto collectio mea tria quoque specimina *Eurybiae sinnaces* Druce (e Peruvia montana) complectitur, quibus comparatis omnem dubitationem de novitate speciei cedere necesse est.

Quae in genere errata video, haec sunt:

- Nomina *patrona* Weymer et *persona* Staudinger ad unam eandemque speciem pertinere, adverterunt autores Biologiae Centrali-Americanae. Mengel contra in catalogo Erycinidarum duas species esse mavult. Aperte falso.

- Quam *Eurybiam* Weeks\*) nomine *Hari* publicavit (Can. Ent.

\*) Jam ab initio hoc monitum velim Weeksium in omnis generis erroribus paene natare videri; simili modo quo etiam figurae ejus, sicubi vel praecipui erroris manifestus est, solitariae in mediis paginis natant. Enimvero non de caelo doctrina cadit, id quod in pluviis fieri videmus, quas promiscua Dei benignitas super dignos et indignos pariter effundit: sed oleo multo et multa lucubratione opus est, ut in numero doctorum esse possis.

- XXXIII 268 1901) et cuius sat speciosam imaginem dedit anno post in Ent. News XIII No. 7 pl. 12 (1902), alter sexus est *Eurybiae turna* Dognin (Lep. Loja 80 pl. 7 fig. 7 1894). Id quod exemplaria meae collectionis contestantur.
- c. *Eurybia caerulescens* Druce (Proc. Zool. Soc. L. 482 pal. 33 fig. 2 1904) a *lamia* Cramer, Numae paene temporibus publicata, nulla in re differt. Druce soli *lyciscae* Doubl. Hew. comparat, manifestus de *lamia* ne fando quidem accepisse.
  - d. De *Eurybia unxia* Godm. Salv. (Biol. Centr. Am. 1 377 1885) dubitare licet; etsi rectum videre difficile est, imagine descriptioni non addita nec facta mihi speciminum copia, qua data judicari possit.

## II. Genus *Cremna* Westw.

### 1. *Cremna merula* n. sp. mihi

(Taf. I fig. 12).

Magnitudine fere *eucharilae* Bates aut supra, forma anticarum pari, posticis tamen dilatatis, ut fere in *Cremna ceneus* Hew.

Supra fusco — nigra obscura, sed sub obliquis lucis radiis splendore chalybaeo — caesio tota pulcherrima. Punctis sive minutis maculis albis parti costali, item parti apicali, item parti externo-marginali anticarum injectis. Striga submarginali posticarum spadicea, sed hac obsoletissima nec in omni specimine conspicua.

Subtus brunnea, splendore nullo-Anticarum punctis (sive maculis minutis) pluribus quam supra et discum quoque oppalentibus; his in partibus proximalibus spadiceis, in distalibus albis.

Posticarum strigis macularibus contributis, margini externo parallelis, non admodum sibi constantibus, sex sive septem; his omnibus spadiceis.

3 ♂♂ meae collectionis ex Ecuador. (Balzabamba. Hänsch.)

### 2. *Cremna calitra* Hew. Equat. Lep. 45 No. 80 1869.

(Tafel I. fig. 16)

Hewitsonius marem descripts e republica equatoriensi nec pinxit. Tabula nostra unicum femellam meae collectionis repraesentat, oriundam indidem, ex Ecuador (Santa Inez. Hänsch.)

## III. Genus *Necyria* Westw.

### 1. *Necyria incendiaria*<sup>\*)</sup> n. sp. mihi.

Taf. I fig. 2 (Oberseite) und fig. 24 (Unterseite).

Supra nigra, fascia lata anticarum per aream distalem a costa ad extremam partem marginis interni, item limbo latissimo postica-

<sup>\*)</sup> Utrum species nova sit an pertineat ad aliquem marem e numero eorum, qui publicati sunt, nescio. 1\*

rum splendide caesiis (viridi-caeruleis); hac fascia et hoc limbo venis nigris permeantibus in singulos loculos disjunctis. Linea rubra non admodum sibi constante, sub costa atque in fine anali incrassata per medium discum posticarum a media costa ad inferiorem partem, marginis interni.

Subtus nitore peregrino, parte proximali alarum omnium atra, parte distali colore inter cinereum et caeruleo-viridem, hac venis nigris loculata; inter utramque partem fascia lata discali laetissime rubra per alas omnes.

Haec species subtus simili adspectu est, quem *Necyria Lindigi* Felder (*manco* Saund. ♀) supra praebet; modo quod fasciae in hac flavae, in *incendiaria* mihi rubrae sunt.

2 ♀♀ meae collectionis e montium jugis Colombiae orientalis.

Feminam esse, quam pinxi, video; ad quem marem pertineat, non video. Habeat ergo nomen suum; meliora viderint, qui post nos erunt.

## 2. *Necyria Juturna* Hew. ♂, (Taf. I fig. 9)

Hew. Ex. Buttbl. IV. Eryc. et. Necyr. tab. I, fig. 7. 1870. ♀.

Feminam hujus speciei Hewitsonius pinxit; maris in literis mentionem factam non video. Esse autem hunc, quem nos pinxit, marem ad *Juturnam* ♀ pertinentem securissimi sumus ideo, quia ante hos annos ex una eademque regione Equatoriensi (Santa Inez. Hänsch) plus viginti specimina mascula speciei cujusdam ad genus *Necyria* pertinentis accepimus una cum sex femellis, quae femellae cum imagine Hewitsoniana plane conformes sunt. Altera vero de genere species eisdem in locis, quantum equidem scio, non reperitur.

*Necyria Juturna* Hew. ♂♀ ex Ecuador ad *Necyriam Saundersi* Hew. ♂♀ e Colombia adeo prope accedit, ut altera alteram mutatis quibusdam numeris et notis paene iterare videatur. Etenim etiam *Necyria Saundersi* feminam habet *Juturnae* ♀ sat similem, scilicet eam, quam nomine *Necyria Hewitsonii* tanquam separatam speciem Saunders descripsit et pinxit Trans. Ent. Soc. V 106 tab. 10 fig. 9. 10 1859.

*Necyria Juturna* ♂ autem a *Necyria Saundersi* ♂ differt his notis:

Aliquanto major quam *Saundersi*, alis omnibus longioribus, imprimis costa anticarum longiore, margine externo anticarum recto, posticis in regione anguli analis aliquanto productioribus.

Supra maculis rubris aliquanto majoribus, colore laetissimis, fasciis cyaneo-viridibus splendidissimis. His faciis et quidem et distal anticarum et submarginali posticarum, angustioribus quam in

*Saundersi*; illa, quae est in anticis, praeterea evidentius quam in *Saundersi* venis permeantibus in singulas maculas loculata, aliter etiam sinuata et ab angulo externo alae tenuissimo tantum intervallo disjuncta.

Subtus anticarum disco non toto splendide cyaneo-viridi, sed coloris nigri sat lato balteo discum transversim permeante; hoc balteo utrinsecus spinoso.

---

Quae praeterea in genere monenda video, haec sunt:

- a. *Necyriam Lindigi* Felder feminam esse ad *Necyriam manco* Saund. pertinentem securus sum. Raro spectatur species *Lindigi* Felder in collectionibus; certe autem specimina omnia, quae hucusque vidimus, etiam meae collectionis, femellae sunt.
- b. *Necyriam Hewitsonii* Saund. feminam esse ad *Necyriam Saundersi* Hew. pertinentem supra diximus.
- c. De specie *Duellona* Westw. (Gen. Diurn. Lep. 432 No. 2 note 1851) ambigo. Certe ea, quae de hac specie disseruit Staudinger Exot. Schm. p. 247 1888, irrita sunt. Westwood enim l. c. de macula sanguinea subcostali in superna parte posticarum apertis verbis loquitur, id quod ego in nulla specie de genere video, nisi in specie *zaneta* Hew. (quae tamen macula posticarum in imagine Hewitsoniana superductis alis anticis obtigitur. Ex. Butterfl. V Eryc. fig. 1 1875.) Verumtamen Westwood suam *Duellonam* gerentem facit supra in anticis pone medium fasciam transversam e maculis conoideis compositam, id quod de *zaneta* Hew. dici vix et ne vix quidem potest.
- d. Quid intersit inter *Necyriam Gerhardi* Mengel (Ent. New. XIII. 177 pl. 8 1902) et *Necyriam Saundersi* Hew. dei viderint; ego videre non possum. Quacum Mengel ne comparat quidem.

#### IV. Genus *Lyropteryx* Westw.

1. ***Lyropteryx Terpsichore*** Westw. Gen. Diurn. Lep. p. 433 No. 2 note (1851); Mén. Cat. Mus. Petr. Lep. I. p. 89 Tab. 3 fig. 2 (1855.)

Westwood speciem descripsit nec pinxit; maris tamen imaginem videmus in Mén. Cat. Mus. Petr. Lep. I 89 tab. 3 fig. 2. 1855. Feminae nusquam in literis mentionem factam video. Atqui non in mea solum collectione, sed etiam in Museo regio Berolinensi singulæ hujus speciei femellæ exstant, vix ulla nota a mare separabiles, nisi quod magnitudine superant et quod vitta transversa, quae est in

distali parte anticarum, ex albis strigis longitudinalibus composita, in femina quam in mare latior adparet.

Ita hujus generis duplex prosapia est, altera earum specierum quarum uxoribus eodem, quo mariti, vestitu uti satis est, altera earum, quarum uxores impendioso vestium ornatu maritis suis illuminantur.

Menetriesius speciem *Terpsichore* descriptis e Brasilia. Indidem oriundam femellam video in Museo regio Berolinensi. Mea contra collectio marem tenet Bolivianum, feminam Colombianam. Ita haec species, cum sit rarissima, plus uno tamen loco reperitur.

In catalogis Staudingerianis speciem *Terpsichore* Westw. per hos omnes annos novissimos prostare vidimus nomine *zygaena* Staud. i. l. quem errorem tanto magis admiror, quanto Staudingerum ipsum de specie *Terpsichore* Exot. Schm. 247 1888 disserentem legimus.

## V. Genus *Cartea* Kirby.

### 1. *Cartea ucayala* n. sp. mihi. ♂

(Tab. I. fig. 14.)

*Cartea* forma et magnitudine *Carteae tapajona* Bates, cognata huic, diversa tamen his notis:

Supra aterrima, figuris rufis utriusque alae perinde longis quidem atque in *tapajona*, sed impendio angustioribus, his non miniatis, ut in *tapajona*, sed saturate rufo-spadiceis. Macula distali anticarum ab apice reductiore; hac lactea prius quam gilva.

Subtus ut supra, colore rufo-spadiceo aliquatenus dilutiore.

Imago facta est secundum unicum marem meae collectionis, originatum e Brasilia (flumen Ucayali.)

## VI. Genus *Panara* Westw.

### 1. *Panara triangularis* n. sp. mihi.

(Tab. I. fig. 19).

*Panara* *Panarae Sicara* Hew. magnitudinem vix excedens, sed forma diversa, anticis protractis, costa earum porrecta, margine interno brevi, posticis versus angulum analem triangulariter attenuatis.

Supra atro-fusca, taenia obliqua imprimis lata rubro-aurantiaca a media costa ad inferiorem partem marginis externi (angulum exterrnum ipsum interno suo licio contingente.)

Subtus ut supra, sed coloribus dilutioribus.

2 ♂♂ meae collectionis e Colombia occidentali (Rio San Juan.)

### 2. *Panara Phereclus lemniscata* n. subsp. mihi.

Diffr. a *Phereclo* typico Linnaei his notis:

*Lemoniidarum supplementa.*

7

Fascia transversa anticarum paulo angustiore; hac non aurantiaca, sed albescente. Limitibus hujus fasciae ad amussim parallelis.

♂. Fascia anticarum neque costam neque marginem externum contingente; hac alba, extremis tantum limbis ejus subtilissime aurantiaciis.

♀. Fascia anticarum costam contingente, marginem externum non contingente; hac albescens-gilva tota.

♂♀ meae collectionis e Tarapoto (Cuzco. Peruvia)

**VII. Genus *Ithomeis* Bates.**

Errata in genere video haec:

a. *Ithomeis mimica* Bates.

Descripsit nec pinxit Bates Trans. Linn. Soc. XXIII 542 No. 4 1862. Imaginem dedit hoc nomine Gr. Smith Rhop. Exot. III 6 pl. 2 fig. 7. 8. 1902.

Eandem pinixerat ante Smithium Staudinger Exot. Schm. 249 pl. 90 ♂ 1888, sed novo et falso nomine *Corinna*. Erravit ergo Staudinger, speciem novam necdum descriptam arbitratus, quae dudum descripta esset; peccavit autem Smithius quoque, quod de Staudingero ne verbo quidem dicit.

b. *Ithomeis Wanda* Staud. i. l. e Bolivia, quod nomen per omnes hos annos in catalogis Staudingerianis legere consuevimus, eadem species est quae *aerella* Gr. Sm. Rhop. Exot. III, 8 pl. 2 fig. 11. 12. 1902.

**VIII. Genus *Barbicornis* Latr.**

**1. *Barbicornis tucumana* n. sp. mihi.**

(Tab. I. fig. 21.)

*Acroleucae* Berg (*melaleuca* Staud. i. l.) Ann. Mus. Buen Aires V,I 1896 e Paraguay (et Bolivia) maxime similis, sed dimidio paene minor, alis brevibus, antennis non aequaliter filiformibus, potius subclavatis.

Supra dilutius atra, venis canescenti-albis, per omnem partem alarum clare conspicuis. Parte apicis anticarum nivea minore quam in *acroleuca* Berg, ciliis posticarum omnibus concoloriter atris.

Subtus fere ut supra.

♂ meae collectionis e statione Tucuman in monte Aconquija in septentrionali parte reipublicae Argentinae.

**2. *Barbicornis ephippium* n. sp. mihi.**

(Tab. I fig. 8.)

Minor quam *melanops* Butl. Supra nigra, fascia anticarum lata a costa ad marginem externum aurantiaca; hac fascia introrsus am-

pliata in latam laciniam, dimidium fera superius cellae opplementem. Venis posticarum nec non ejus partis anticarum, quae est margini interno propinquior, canentibus et ideo conspicuis; et hoc quidem in femella magis quam in mare.

♂♀ meae collectionis e Brasilia (Provincia Rio Grande do Sul.)

## IX. Genus *Limnas* Boisd.

### 1. *Limnas quadriplaga* n. sp. mihi.

(Tab. I fig. 15.)

Supra aterrima, ciliis concoloribus, sola mica minutissima earum in apice anticarum alba. Anticarum fascia obliqua a media costa ad inferiorem partem marginis externi, neque costam neque marginem contingente, niveo-alba; singulis maculis prope basin et anticarum et posticarum sanguineis, solito majoribus; eis, quae in posticis, a basi aliquanto remotioribus.

Subtus ut supra, venis tamen canentibus.

Maculis sanguineis aliquibus ab utraque parte abdominis.

♂ meae collectionis e Bolivia (la Paz.)

### 2. *Limnas aurolimbata* n. sp. mihi.

(Tab. I. fig. 13.)

Ad similitudinem *Smithiae* Doubl. u. Hew. proxime accedens, aliquanto tamen minor, alis brevioribus, apicali parte anticarum magis rotunda. Limbo aurantiaco anticarum multo angustiore et, excepta parte apicali, quae est dilatata, per omnem marginem externum tenui et maculari, membris ejus semicircularibus ipsius marginis lineac adhaerentibus. Puncto basali anticarum rubro minuto, posticarum nullo.

Subtus ut supra, punctis tamen rubris basalibus omnino sex, binis posticarum additis.

♂ meae collectionis e Bolivia (la Paz.)

### 3. *Limnas prasinata* n. sp. mihi.

(Tab. I. fig. 4.)

Limnas parva, supra atro-fusca, limbo alarum omnium prasino; et hoc in posticis quidem latiusculo, distincto, venis permeantibus loculato; in anticis vero indistincto, colore prasino radiiformiter in medias alas inducto et cum colore fundali confuso.

Subtus colore quidem dilutior, sed partibus distalibus omnibus evidentius prasinis, lineolis fuscis plurimis radialiter e parte proximali ad marginem externum escendentibus.

Inferiore parte abdominis, excepto ano, ochracea.

♂ meae collectionis e Colombia occidentali.

(Rio Juan.)

---

*Lemoniidarum supplementa.*

9

Esse potest, ut verum viderit Berg (Ann. del Museo nacional de Buenos Aires V p. 2 1896) quod speciem suam *luctus*, quam l. c. addita in textu figura describit, non cum genere *Limnas* Boisd. sed cum genere *Riodina* Westw. conjungere voluit, exemplum Burmeisteri in hac re secutus, qui ante eum (Descript. phys. de la Rep. Argent. V p. 221 Atlas pl. VIII fig. 7 1878-79) *Lysistratum* quoque suum, speciem speciei Bergiana, quam diximus, simillimam, hue contulerat. Qui viri si verum viderunt, eodem etiam, i. e. in genus *Riodina*, tres illae formae relegenda erunt, quas uno eodemque nomine *Limnas Lycisca* (Boisd.) Hewitsonius complectitur Ex. Butfl. I. Limn. tab. 2 fig. 7-9 1852. Video praeterea in Museo regio Berolinensi in genere *Limnas* aliquot formas hue pertinentes needum descriptas.

Quod est ad speciem *luctus* Berg, cuius unum solum exemplar Museum Bonariense anno 1896 possidebat, tenet collectio mea amplam copiam speciminum e Nova Germania in partibus septentrionalibus reipublicae Paraguensis.

*Theodora* autem et *albofasciata*, quas Godman et ipsas generi *Riodina* addere voluit (Trans. Ent. Soc. 1903) pertinere ad genus nullo modo possunt; nec caussam video, cur non potius ad genus *Apodemia* pertinentes fecerit.

**X. Genus Esthemopheles** Röber.

**1. Esthemopheles lamprolenis** Röber Stett. Ent. Zeitschr. LXIV 344. 1903.

(Taf. I. fig. 5 ♂, fig. 6 ♀)

(Non „lamproteinis“ ut bis legitur apud Mengel).

Röber hanc speciem possidebat e sola Colombia. Tabula nostra de mea collectione marem Colombianum et feminam e republica Equatoriensi orientali repraesentat. (Coca. Hänsch.) Memini Staudingerum hanc speciem sat insignem olim vendere de Colombia nomine *Esthemopsis radiata* Godm. Salv., quacum confundebat. *Radiata* vero pertinet ad Americam centralem.

**XI. Genus Esthemopsis** Felder.

**1. Esthemopsis zamuro** n. sp. mihi.

(Taf. I. fig. 11.)

Magnitudine fere *radiatae* Godm. Salv., sed alis brevioribus, latiusculis, subrotundis; apice anticarum subrotundo. Antennis longis, filiformibus, sub cuspide non incrassatis. Ciliis anticarum juxta solum angulum externum, posticarum mixtim albis.

Supra atro-brunnea; anticarum macula grandi, a costa ad medianam primam pertinente magnamque partem omnis areae distalis occupante, item binis striis minutis longitudinalibus prope marginem internum albis, semitranslucidis; item posticarum ordine macularum submarginalium acutissime conoidearum, radialiter positarum, septem sive octo; his et ipsis albis, semitranslucidis.

Subtus figuris fere eisdem, quibus supra, colore tamen caeruleo-glaucō omni parti alarum leniter inducto.

*Dodonae* Godm. Salv. sive etiam *strigosae* Staud. ♀ non assimilis, sed major, alis latioribus.

♂ meae collectionis e republica Equatoriensi occidentali (Archidona. Hänsch.)

## XII. Genus *Drepanula* Röber.

### 1. *Drepanula gerres* n. sp. mihi.

(Taf. I. fig. 20.)

Forma *Drepanulae calvus* Staud., parvitate pari aut infra. Supra venis colore fusco non satiatis. Anticis brunneolis, posticis semicinereis, lineolis brunneis transversis crispantibus in omni area alarum; item punctis aliquibus in parte adbasali posticarum.

Subtus colore albescenti-cano ut in specie *calvus* Staud., punctis tamen et lineolis obscuris minutis omni parte proximali injectis (loco muscularum plus minusve indistinctarum, quae sunt in specie *calvus*.)  
♂ meae collectionis e Colombia (Muzo. Krackow.)

## XIII. Genus *Siseme* Westw.

### 1. *Siseme Atrytone* n. sp. mihi.

(Taf. I. fig. 17.)

*Siseme* speciei *Siseme xanthogramma* Bates simillima, paulo major.

Caeteris notis fere omnibus eisdem, supra tamen macula anali posticarum laetissime aurantiaca, sex admodum partibus majore quam quae est in specie *xanthogramma* Bates. Hac macula cum fascia distali in unum et continuum lemniscum conjuncta; hoc lemniscum conjuncta; hoc lemnisco angulato.

3 ♂♂ meae collectionis e Bolivia.

In catalogis Staudingerianis haec species per omnes hos annos novissimos nomine *Athene* Staud. i. l. prostitit; quo nomine uti nolui, non repetenda esse arbitratus nomina nimio usu trita.

### 2. *Siseme Hellotis* n. sp. mihi.

(Tab. I. fig. 10)

*Siseme* magnitudine fere antecedentis, sed forma dispar, alis brevioribus, posticarum parte anali dilatata, subquadrata.

*Lemoniidarum supplementa.*

11

Supra atro-fusca, venis non separatim coloratis. Fascia discali anticarum perpetua, posticarum abbreviata coloris helvi; hac fascia sub costa anticarum omnino non angustata. Praeterea linea anticarum per aream distalem evanescenter cana; posticarum subcaesia.

Binis maculis minutis rubris inter se non cohaerentibus in posticarum parte anali.

Subtus fere ut supra, linea tamen distali anticarum evidentius conspicua et partibus adbasalibus alarum omnium, item partibus margini interno posticarum adjacentibus caesiis.

2 ♂♂ collectionis meae e Peruvia septentrionali (Huancabamba.)

**3. Siseme tantilla** n. sp. mihi.

(Tab. I. fig. 23.)

*Siseme* parva, omnium, quas novimus de genere, minima. Aliquo modo comparabilis cum specie *Lucilia* Hpfr., sed alis brevioribus, subrotundis. Differt a *Lucilia* Hpfr. area alba, quae est omnibus alis communis, angustissima, coarctata in formam tenuis scidac sive penicilli.

♂ maeae collectionis e Colombia (Muzo.)

**4. Siseme Sprucei saturata** n. subsp. mihi.

Magnitudine et forma eadem, qua forma typica Batesiana. Supra tamen tota colore saturatior, paene nigrescens; striga subpallida distali anticarum duplo latiore quam quae est in forma typica, macula anali posticarum laetissime rubra, multis partibus majore quam quae est in forma typica, una praeterea nec bifariam dirempta.

Subtus striga distali (submarginali) et anticarum et posticarum multo latioribus quam quae sunt in forma typica, partibus proximalibus alarum omnium non caesio-canis, sed injecto colore fusco obscuratis, macula rubra anali posticarum magna et una, sicut supra.

Duodecim specimina mascula meae collectionis, oriunda e diversis locis Cordillerae equatoriensis orientalis. (*Siseme Sprucei typica* contra obtinet loca, quae sunt inter summa montium juga istius terrae et Oceanum. ("Valleys west of Chimborazo Alt. 3000 ft." Bates in Journ. Linn. Soc. Zool. IX p. 384. 1868.) Tenet tamen collectio mea specimina etiam aliqua *Sprucei* typicae e provincia Cauca in Colombia.)

Comparationem facere potuimus, data ampla copia speciminum utriusque formae. Formas intermedias vidimus nullas.

**5. Siseme pedias** Godm. ♀.

(Taf. I. fig. 22.)

Marem pinxit ante hos quatuor annos Godman; femellam ne

novit quidem. Quam publicare non inutile visum est, altero sexu majorem, alis latioribus, magis rotundis, fascia alba proximali et anticarum et posticarum latiore, partis distalis anticarum area cano-albescente magna, venis permeantibus loculata, colore ianthino nullo aut fere nullo.

♂ ♀ meae collectionis e Bolivia (Marcapata.)

---

Quae praeterea in genere video notatu digna, haec sunt:

a. *Siseme nigrescens* Mengel\*) (Ent. News 1899 p. 168 pl. 5) a specie *Sprucei* typica Bates, ante hos quadraginta annos descripta nulla in re differt. Jure nostro miramur, Mengelum, magnificum catalogi scriptorem, hanc notissimam speciem et ne raram quidem non novisse, quam hodie in qualibet vel mediori collectione admirari possumus.

b. *Siseme caudalis* Bates (Journ. Linn. Soc. Zool. IX 1868 p. 384) eadem species est, quam Felder septem annis ante nomine *neurodes* latinis verbis descripserat (Wien. Ent. Mon. V 1861 p. 98 No. 54). Cum autem sermo latinus ab eis, qui a Musis alieni sunt, parum intelligatur, nomen Batesianum pro bella ista specie in literis et collectionibus obtinuit, nomen *neurodes* in occulto jacuit. Certe autem habet nomen *neurodes* Felder prioritatem.

c. *Siseme peculiaris* e Drucio novissime e Peruvia descripta et pieta est. (Proc. Zool. Soc. Lond. 1904 p. 487 pl. 34 fig. 9.) Femellam pinxisse videtur Druce, etsi de sexu tacet. Collectio mea marem tenet (ex Huancabamba), a femella aliquatenus diversum. Supra colore saturatus brunneo, macula alba anticarum non incurva (hamiformi), sed recta (sacciformi).

#### XIV. Genus *Amarynthis* Hübn.

a. *Amarynthis meneria* Cram. Miror in literis a nemine adhuc satis probatum esse, quanta esset hujus speciei variabilitas. Et Cramer quidem marem figurat e Surinam, fasciis rubris submarginalibus perangustis, lineiformibus; feminam pingit fasciis rubris submarginalibus latissimis, quam, parum perspecta unitate, novo nomine *micaliam* vocat. Atqui et mares saepe reperiuntur fasciis latissimis (vide figuræ in Gen. Diurn. Lep. Tab. 70 fig. 7 et Staud. Exot. Schm. Tab. 90) et feminae perangustis; etsi non omnes omnibus locis. In collectione meae, cuius hujus speciei larga copia est, ea

---

\*) Errare aliquotiens, hoc quasi jure quodam nostro omnes utimur quia homines sumus. Cavendum tamen puto, ne hoc jure nostro abutamur.

specimina rubro colore vel maxime abundant, sanguine paene mandentia, quae e Colombia et Peruvia accepi, nullo hac in re inter mares et femellas discriminere; contra tenet collectio mea alteram seriem speciminum utriusque sexus e regione Santa Inez in Ecuador quorum est fascia submarginalis alarum omnium angustissima, subtilis lineae instar, praeterea etiam non fervide rubra, sed colore multo dilutior. In his speciminibus et puncta alba pleraque omnia minus perspicue visuntur et maculae rubrae in cella anticarum sunt exiguae, nonnunquam paene nullae.

Malim ergo in catalogis porro duas istas formas extremas suis et separatis nominibus nuncupari in hunc modum:

1. *Amar. meneria (typica)* Cramer.

(Taeniis angustis, rufesceni-luridis.)

2. *Amar. meneria micalia* Cramer.

(Taeniis latis, laetissime rubris.)

a. *Am. bocchoris* Hew.

Speciem ad genus pertinere non posse primo statim adspectu docemur.

b. *Am. Maecenas* F. De specie quam in insula Guadeloupe reperiri Fabricius dicit, dubitatur. Esse potest, ut in genus *Charis* Hb. relegenda sit.

c. *Am. muscolor\**) Weeks (e Bolivia) in genere *Exoplisia* Godm.

u. Salv. ponenda est. Differt a specie *hypochalybe* Felder subtus alarum omnium parte distali unicolor, picturis et lineamentis soli parti proximali injectis, his autem cum specie *hypochalybe* plane conformibus. Caeterae notae omnes et supra et subtus ab *hypochalybe* Felder adeo non discordant, ut mirer Weeksium comparationem cum *hypochalybe* facere supersedisse.

## XV. Genus *Imelda* Hew.

Unam speciem generis Hewitsonius novit, eius marem pingit. Cum hoc mare conjugio sociabimus *Nymphidium mycea* Hew. Ex. Buttl. III. Nymph. Tab. 3 fig. 19. 1865.

Marem Hewitsonius acceperat e republica equatoriensi, feminam e Colombia. Feminam pinxit anno 1865, marem 1870.

Atqui differunt inter se specimina equatoriensia et colombiana et quidem in utroque sexu. Quae omnia si computaveris, in catalogis abhinc sic scribi oportebit:

\*) Murinum dicere debebat. Atque utinam muricolorem saltem dixerit! Quanquam declinat lingua latina hanc formationem, ne de moenibus cogitemus, cum de gliribus sermo est.

**Genus Imelda** Hew.

Hew. Equat. Lep. 56. 1870.

Staud. u. Schatz Ex. Schm. II. 251. 1892.

**1. Imelda mycea (typica) Hew.**

Hew. Ex. Butterfl. III. Nymph. Tab. III. fig. 19 1865.

(*Nymphidium mycea*) ♀

♂ Thieme Berl. Ent. Zeitschr. LII p. 14, 1907.

Colombia.

**2. Imelda mycea glauocosmia Hew.**

Hew. Equat. Lep. 56 No 103 1870 ♂

Hew. Exot. Butterfl. IV Erycin. tab. 1 fig. 5. 1870 ♂

Staud. Exot. Schm. 260 p. 92 ♂ 1888.

♀ Thieme Berl. Ent. Zeitschr. LII p. 14, 1907.

Ecuador.

Differunt autem inter se *Imelda mycea (typica)* et *Imelda mycea glauocosmia* his notis:

**1. Imelda mycea (typica) (aliquanto major).**

♂ Quatuor maculis albis subapicalibus anticarum inter se magnitudine non paribus, ultima, quae est sub costa, insuper bipertito direpta.

♀ Quinque maculis albis subapicalibus anticarum incrassatis, stria rufa in medio limbo marginali alarum omnium latiuscula.

**2. Imelda mycea glauocosmia (aliquanto minor).**

♂ Quatuor maculis albis subapicalibus anticarum inter se magnitudine paribus, unam plagam efficientibus, solis venis permeantibus subtilius quadripertito loculatum.

♀ Quinque maculis albis subapicalibus anticarum minutis, stria rufa in medio limbo marginali alarum omnium subtili lineae instar.

Continet collectio meae ♂ ♀ e Colombia, 2 ♂♂, 2 ♀♀ ex Ecuador (Santa Inez. Hänsch); unde comparatio fieri potuit.

**XVI. Genus Symmachia** Hb.

**1. Symmachia suevia** Hew. Equat. Lep. 1877 p. 95.

(Taf. I. fig. 3)

Species bella needum picta. Imago expressa est secundum unicam femellam meae collectionis ex Ecuador (Santa Inez. Hänsch.)

**XVII. Genus Baeotis** Hübn.

**1. Baeotis felicissima** n. sp. mihi.

(Taf. I. fig. 18.)

Baeotis speciei *felix* Hew. simillima, sed major, limbo marginali alarum omnium supra et subtus latiore; hoc limbo in posticis

striga perpetua, in anticis binis strigis abbreviatis coloris gilvi (ejusdem coloris, quo pars adbasalis) bipertito. Atomis minutissimis argenteis limbo marginali posticarum supra ab utraque parte strigae gilvae injectis (hoc ut in specie *bacaenisi* Hew.) Fascia incurva proximali obscura per alas omnes ut in specie *felix* Hew. sed hac magis recta, incipiente non in medio, sed ante medium costae anticarum. Subtus ut supra, atomis tamen argenteis nullis.

♂ meae collectionis ex Ecuador. (Santa Inez. Hänsch.)

---

Corrigenda video in genere haec:

- a. *Nymphidium anthias* Hew. (Ex. Buttl. V Erycinid. fig. 10 11. 1875), cuius marem collectio meae tenet e Songo in Bolivia, nostro generi adscribatur oportet.
- b. *Baeotis elegantula* Hpffr. (Stett. Ent. Zeitschr. 365 No. 80 1874) eadem species est quae *bacaenisi* Hew. (Ex. Buttl. V Eryc. fig. 1 1874)
- c. *Baeotis barzanes* Hew. (Exot. Buttl. V. Eryc. fig. 2 1874) ♀ pertinet ad *Charis monogramma* Bates (Journ. Linn. Soc. Zool. IX 391. 1868.)
- d. *Baeotis bifasciata* Mengel e Paraguay (Ent. News XIII 177 pl. 8. 1902) femella ad *Ematurginam Mabildei* Röber pertinet, a mare aliquatenus diversa, posticis supra una striga transversa auctioribus.

## XVIII Genus *Lemonias* Westw.

### 1. *Lemonias mellita* n. sp. mihi.

(Taf. I. fig. 7.)

*Lemonias magnitudine et forma fere Cilissae* Hew. ♀, alis brevibus.

Supra caesia (colore inter canum et caeruleum.) Anticarum striolis minutis transversis obscuris per omnem partem proximalem; partis distalis fascia macularum irregularium nivea, post hanc limbo lato marginali obscuro, per hunc limbum binis lineolis caesiis continuis. Posticarum ternis lineis marginalibus et submarginalibus margini externo parallelis obscuris; harum prima caeteris aliquanto pinguiore; omni parte alae citra has lineas eisdem striolis variegata, quibus pars proximalis anticarum.

Subtus tota dilutior, figuris et notis eisdem, quibus supra, parte distali posticarum albescente.

♀ meae collectionis ex Ecuador (Santa Inez. Hänsch.)

### XIX. Genus *Apodemia* Felder.

In hoc quoque genus anni novissimi errorum copiam contulerunt.

- a. *Apodemia sonrella* Schaus (*Stalachtis sonrella*) (Proc. U. S. Nat. Mus. XXIV 1902 p. 406.)

Schaus hanc speciem, quam nuper descripsit (nec pinxit) miro errore cum genere *Stalachtis* conjunxit, colorum quadam similitudine deceptus.

- b. *Apodemia stalachtioides* Butl. Journ Linn. Soc. Zool. IX p. 228 No. 16 Tab. 7 fig. 18. 1868.

Verum Butler vidit, quod hanc speciem generi *Apodemia* adscripsit. Certe praefert picturis et coloribus suis aliquam similitudinem cum genere *Stalachtis*, sed etiam scrutinio venarum non habito ipsa statim parvitate docemur ad genus *Stalachtis* pertinere non posse. Druce contra (Proc. Zool. Soc. Lond. 1904 pl. 34. fig. 8 p. 488) ante hos tres annos hanc speciem Butlerianam, quasi nova esset needum edita, nomine *canidia* non descripsit solum et denuo pinxit, set etiam cum genere *Stalachtis* insulsissime confudit, exemplum Schausi in re simillima secutus (vide supra), quem tanquam erroris socium nominatim evocat.

- c. *Apodemia glaphyra* Doubl. Hew. Gen. Diurn. Lep. Tab. 71 fig. 3. 1851.

Speciem notissimam et ne raram quidem post plus quinquaginta annos reviviscere vidimus novo nomine *Anatole modesta* Mengel\*) (Ent. News XIII 176 pl. 8 1902). Quatuor additis imaginibus Mengel egregium inventum suum illustrare voluit.

### XX. Genus *Stalachtis* Hübn.

Neque speciem *Stalachtis sonrella* Schaus neque speciem *Stalachtis canidia* Druce ad genus *Stalachtis* pertinere posse, de hac re antea in genere *Apodemia* a nobis dictum est. Insuper ignorat more suo Druce *canidiā* quam, suam recens detexisse sibi videtur, speciem eandem esse, quam Butler ante hos quadraginta annos nomine *Apodemia stalachtioides* non descripsit solum, sed etiam pinxit.

---

\*) Neque legunt neque comparant futileque sua sollertia stercorum montes cumulant, ad quos disjiciendos vix unus hodie Hercules sufficiat.



## Erklärung der Tafel I.


---



---

	Seite
Figur 1. <i>Eurybia jemima</i> Hew. ♀ (Oberseite) . . . . .	1
" 2. <i>Necyria incendiaria</i> n. sp. ♀ (Oberseite) . . . . .	3
" 3. <i>Symmachia suevia</i> Hew. ♀ (Oberseite) . . . . .	14
" 4. <i>Limnas prasinata</i> n. sp. ♂ (Oberseite) . . . . .	8
" 5. <i>Esthemopheles lamprolenis</i> Röber ♂ (Oberseite) . .	9
" 6. <i>Esthemopheles lamprolenis</i> Röber ♀ (Oberseite) . .	9
" 7. <i>Lemonias mellita</i> n. sp. ♀ (Oberseite) . . . . .	15
" 8. <i>Barbicornis ephippium</i> n. sp. ♀ (Oberseite) . . . .	7
" 9. <i>Necyria juturna</i> Hew. ♂ (Oberseite) . . . . .	4
" 10. <i>Siseme Hellotis</i> n. sp. ♂ (Oberseite) . . . . .	10
" 11. <i>Esthemopsis zamuro</i> n. sp. ♂ (Oberseite) . . . . .	9
" 12. <i>Cremina merula</i> n. sp. ♂ (Oberscrite) . . . . .	3
" 13. <i>Limnas aurolimbata</i> n. sp. ♂ (Oberseite) . . . . .	8
" 14. <i>Cartea ucayala</i> n. sp. ♂ (Oberseite) . . . . .	6
" 15. <i>Limnas quadriplaga</i> n. sp. ♂ (Oberseite) . . . . .	8
" 16. <i>Cremina calitra</i> Hew. ♀ (Oberseite) . . . . .	3
" 17. <i>Siseme Atrytone</i> n. sp. ♂ (Oberseite) . . . . .	10
" 18. <i>Baeotis felicissima</i> n. sp. ♂ (Oberseite) . . . . .	14
" 19. <i>Panara triangularis</i> n. sp. ♂ (Oberseite) . . . . .	6
" 20. <i>Drepanula gerres</i> n. sp. ♂ (Oberseite) . . . . .	10
" 21. <i>Barbicornis tucumana</i> n. sp. ♂ (Oberseite) . . . .	7
" 22. <i>Siseme pedias</i> Godman ♀ (Oberseite) . . . . .	11
" 23. <i>Siseme tantilla</i> n. sp. (Oberseite) . . . . .	11
" 24. <i>Necyria incendiaria</i> n. sp. (Unterseite) . . . . .	3





# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Berliner Entomologische Zeitschrift](#)

Jahr/Year: 1907

Band/Volume: [52](#)

Autor(en)/Author(s): Thieme Otto

Artikel/Article: [Famliae Lemoniidarum supplementa cum notis.  
\(Lepidoptera Rhopalocera.\) 1-16](#)